

De p[re]lio apud Campum [a] de Contra commissio.

CAP. XV.

Anno MLXXV, devastatis arboribus et segetibus usque Pignam [A], revertentes Ravennates, labore et aestu nimium fatigati, ceperunt in via super fœnum discumbere, armis depositis. At Faventini, illos ex ^{more} hoc praescientes factos [B], in loco abinde vocato Campo de Contra [B], ipsos viriliter aggrediuntur; ex quibus per agros effusis ceperunt non paucos. Perierunt vero quam plures occasione annulorum quos habebant in digitis, manus amputati vel digitos detruncati; ob quam causam fugiunt hodie Ravennates annulorum pluralitatem praesertim tempore guerrae.

Auxilium Faventinis [c] praestitum a Comite de Tivrisio

Vitria, Gallico, contra Ravennates.

CAP. XVI.

Cum Ravennates nimio furore essent accensi, omnes suos vicinos sibimetipsis volentes subicere, Faventinis guerram ante sex menses publice indixerunt, sub anno itaque [d] Domini MLXXX, et arborem quandam antiquissimam, in Cesaraula [e] positam [e], castaneum nomine, in opprobrium civium [f] dixerunt incidi. Hoc cives audito, tristes et anxii, ab imis pectoribus longa trahentes suspiria, legatos per totam Lombardiam, modis quibus potuerunt omnibus, in accersiendo civitatum adjutorio; mittere non distulerunt; preces quorum contra Ravennates nullus inventus est exaudisse. Sed dum praedicti [g] legati in quadam civitate, ad pedes Montis vel Peimonte [h] posita, hospitarentur, ecce comes quidam de Francia, Vitria nomine [i]

[a] apud Campum. In C. M., apud campum. — [b] ex tunc hoc praescientes factos. Plerique sic legunt. At amanuensium errorem subesse putaverim. Nam non solum aliquid eos omisisse, sed etiam male verbum aliquod expressisse, verosimile est. Quare attente Codicem Manfred. rimatus, hanc lectionem, utpote veriore, mihi visus sum posse elicere: ex turri his praesentes facto. Quod si addideris ad Faventini verbum «speculati», res erit confecta. — [c] Auxilium Faventinis etc. Totus hic titulus deest in Codicibus M. et V.; sed ex C. A. desumptus est. — [d] sub anno itaque. Sic Codd. — [e] in Cesaraula posita. Sic legendum. In Codd. in Cesareulam posita. Cesarolum habet C. A. — [f] in opprobrium civium. In C. M. in obprobrium civium. — [g] Sed dum praedicti. Apud Cl. Mitt., et praedicti. — [h] ad pedes Montis, vel Peimonte. C. M. ad pedes muntis, vel peimonte. Nota Peimonte pro Piemonte. C. A. habet Piemonte. — [i] Vitria nomine. Sic Codd. Nonnulli vertunt de Vitry; C. A. habet Victria.

[A] Pigna. Locus huius nominis adhuc est orientem versus, secundo et quod excurris ab urbe lapide. In charta venditionis, die XXII iulii anni MLXXX factae, memorantur duae petiae terrae in fundo Pigna, territorio et plebe Faventiae. Extat in Tab. Azzurriniano.

[B] Campus de Contra non procul a Pigna esse debuit, ubi praelium fuit commissum. Non enim hic Tolosanus loqui potest de loco dicto, ecclesia S. Petri de Contra, quae reperitur in episcopatu Bretinoriensi, quaeque nimium a Pigna distat.

[C] Cesaraula, vulgo Cesarolo, locus versus orientem, subter viam Æmiliam, non longe ab urbe Faventia situs.